

ARIOVISTVS AVT ERENVEST, AVT ERNESTVS,
GERMANORVM REX.



Ariovistus rex fuit inclytus Germaniae anno ante Christi aduentum sexagesimo. Cum autem is patriæ fines extendere atque gloriam Germanicè gentis ad exteris nationes propagare studeret, commoda ei occasio oblata. Tum enim in Gallia Hedui & Aruerni inter se dissidebant, atque de principatu inuicem contendebat. Cum autem Hedui potentiores essent, Aruerni ipsos Germanos in auxilium uocarunt. Itaque Ariovistus primo quindecim millibus Germanis Rhenum transgressus, ipsos Heduos bello lacessi uit. Cum autem illi potestatem pugnæ fecissent, semel atq[ue] iterum ab eodem uicti & superati fuere, ita ut tandem Amagetobrię omnem equitatum, nobilitatem, & senatum, bello amiserint. Postea Ariovistus ad centum & uiginti millia hominum ex Germania ad se uocauit, atque magna parte Sequanorum & Aruernorum ditionis occupata sui iuris fecit. Erat autem eodem tempore Iulius Cæsar in Gallia, cum Romanorum maximo exercitu. Itaq[ue] Hedui cum Aruernis & Sequanis ad eum profecti, supplices eius opem contra Germanos implorarunt. Itaque Cæsar suis & sociorum rebus timens, legatos ad Ariovistum misit, qui ab eo postularunt ut aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret, uelle enim Cæsarem summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariovistus respondit: Si quid ipsi à Cæsare opus fuisset, sese ad eum uenitrum fuisse, si quid ille à se uelit, illum ad se uenire oportere. Mirum etiam sibi uideri quid in sua Gallia, quam bello uicisset, aut Cæsari aut omnino populo Romano negotij esset.